DE RATIONE,

QUAE

ANIMI FACULTATIBUS CUM MATERIE CEREBRI CINEREA INTERCEDIT.

DISSERTATIO PHYSIOLOGICA,

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU

ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA BONNENSI

PRO SUMMIS HONORIBUS

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ET LEGITIME CAPESSENDIS

SCRIPSIT ET DIE SEPTEMBRIS MDCCCXXV

PUBLICE DEFENDET

FRANCISCUS GUILELMUS DOLF,

RHENANUS.

BONNAE,

TYPIS PETRI NEUSSERI.


VIA VERITAS VITA

PROLEGOMENA.

Cum, finito studiorum academicorum curriculo, de conscribenda commentatione consideratius cogitarem, qua rite AESCULAPIO initiarer; primo novum medicinæ genus, non quidem adhuc inauditum, tamen fere inusitatum, quod ad ὕδρωπα ventriculorum cerebri infantum acutum sanandum excogitavi, et quo jam septem misellis hoc atroci et invicto malo correptis salutem recuperavi, libello divulgare et dilucidare in animo erat. Sed argumentum istud tam grave quam amplum, longioris disputationis, ut quivis facile intelligit, materiem suppeditat, quam ut soliti limites dissertationum istius generis illud apte complecti possent. Quapropter disquisitiones et observationes de hac re institutas, alio tempore forsan communicandas, inpræsentiarum cohibere, consultius mihi visum est. Quandoquidem vero exinde non solum diligentius et accuratius conditiones, a quibus in universum cerebri vita pendeat, investigandi et perpendendi copiam mihi factam esse viderem, sed etiam et colligendi et componendi omnia, quæ ad naturam et indolem hujus morbi, respectu ad causam occultam omnino adhuc parum cogniti dilucidandam et enucleandam symbolam quandam conferant, fieri non potuit, quin, ut συμπτώματα, quibus ægritudo ista stipari solet, fusius et luculentius explicarem, tum ad commercium respicerem, quod inter singulas cerebri partes existat, tum ad rationem, quam istæ, partim ad animi facultates, partim ad ceteras corporis functiones habeant.

Quæ cum ita essent, primum incidi in connubium, quod diversæ cerebri materiæ cum animi facultatibus ineunt. Quo rectius

autem et utilius huic consilio satisfaciam, materiem medullarem interim mitto, solummodo rationem, quæ cineream inter et animum est, succincte expositurus. Quod vero adtinet ad argumenti istius tractationem, hanc sequendam esse putavi, ut primum in universum disseram de cerebro, quatenus tanquam πρῶτον αἰσθήτηριον considerari debeat, respectu ad controversiam habito, qua nostris temporibus in utramque partem disputatur, num cerebrum animi sedes sit, nec ne. In capite secundo modos præcipuos, quibus alma natura diversarum animalium cerebrum varia materiæ cinereæ copia instruxerit, exponam simulque tum de ratione inter utramque materiem et cineream et medullarem diversa respectu ad ætatis discrimen, tum de ægritudinibus, quibus cortex corripi solet, tractabo, et quidem eo consilio, ut exinde lucis quid afferatur, qua connubium istius partis cum animi facultatibus dilucidare et accuratius definire licet. Denique ultimo animi conditiones, quæ a cinerea materia pendere videantur, fusius explicabo. Siquidem in hac sectione, cujus causa potissimum scripsi, demonstrare conabor, in cortice sentiendi vim inprimis sedem obtinere.

Sermonem, ut opinor, purum et latinum curavi. Namque licet quidem in physiologicis, ubi res spectatur, omne pondus ab argumentis, quibus positiones firmantur, pendeat, tamen multum interest, quemadmodum dicas. Est enim, quid deceat, videndum, non in sententiis solum, sed etiam in verbis. Cujus rei ignoratione sæpissime a medicis peccatur, qui istam officii perfectionem, quo et semper utendum est et omnibus omnino negligunt. Unde nonnunquam fit, ut dum ingenium felix et excellens largas eruditionis copias effundit, vocibus corruptis et barbaris expressas, talem fere speciem præbeat, qualem segetes fecundæ et uberes, quæ non solum fruges, verum herbas etiam ferunt inimicissimas frugibus. Τὸ πρέπον non impune læditur.

CAPUT I.

DE CEREBRO, TANQUAM ANIMI SEDE, IN UNIVERSUM.

Iam ab antiquissimis inde temporibus post philosophiam de natura inventam multi fuerunt, nec postea defecerunt, qui arcem Palladis et munitissimam et nobilissimam [1]) summo ardore et indefesso studio oppugnare Deamque ex ea propellere pro virili nitebantur. Sed temere incepta, non ex optato successerunt. Etenim non ita multo post eadem cerebri cubicula, quæ *Aristoteles* [2]) tanquam cloacas, in quibus *περίττωμα* asservaretur, consideravit, *Galenus* [3]), caput medicorum græcorum admirabili quadam scientia et copia præ ceteris pollens, animi principatum tenere, argumentis gravissimis confirmavit et tali modo adversariorum studia prorsus restinxit. Quippe qui etsi non plane veterum doctrinam, quam jam *Alcmaeon* [4]), *Archytas* [5]), et inprimis intelligendi gravissimus auctor et magister, *Plato*, protulerant, eandem [6] statuit, tamen vir ingenio acerrimo et in plurimorum controversiis dijudicandis natura peracutus, cerebrum in pristinam, quam habuit dignitatem, prudentia et auctoritate, quibus in æquales et posteros dominabatur, restituere studuit. Namque *Plato* potius totum cerebrum, animi esse sedem, dixit, ut ex locis, quos hic affero, luculentius patet [7]). *Σχημάτων τε ὅσα ἔμελλεν (ὁ θεὸς) αὖ σχήσειν οἷά τε καθ' ἕκαστα εἴδη τὸν μυελὸν αὐτὸν, τοσαῦτα καὶ τοιαῦτα διῃρεῖτο σχήματα εὐθὺς ἐν τῇ διανομῇ τῇ κατ' ἀρχάς· καὶ τὴν μὲν, τὸ θεῖον σπέρμα, οἷαν ἄρουραν, μέλλουσαν ἕξειν ἐν αὑτῇ, περιφερῆ πανταχῇ πλάσας, ἐπωνόμασε τοῦ μυελοῦ ταύτην τὴν μοῖραν, ἐγκέφαλον ὡς, ἀποτελεσθέντος ἑκάστου ζώου, τὸ περὶ τοῦτο*

---

1) *Sommer*, de cerebro, arce Palladis uti munitissima sic nobilissima. Viteb. 1595.

2) De part. animal. lib. II. c. 7., lib. III. cap. 4., lib. V. cap. 8.

3) De utilitat. respirat. cap. 5., de *Hipp.* et *Plat.* decret. lib. III. cap. 6., lib. VII. cap. 3.

4) *Plutarch.* physic. decret. 4. 17.

5) *Diogenes* 8. 30. *Plutarch.* l. c. 5. 20. *Stob.* p. 874.

6) Carus, Geschichte der Psychologie, S. 362.

7) *Platonis* quæ exstant, edit Bipontin. vol. IX. pag. 332, 395.

ἀγγεῖον κεφαλὴν γενησόμενον· τὰς μὲν οὖν θείας περιόδους, δύο οὔσας, τὸ τοῦ παντὸς σχῆμα ἀπομιμησάμενοι, περίφερές ὄν, εἰς σφαιροειδὲς σῶμα ἐνέδησαν, τοῦτο ὃ δὴ νῦν κεφαλὴν ἐπονομάζομεν ὃ θειοτάτον τε ἐστὶ καὶ τῶν ἐν ἡμῖν πάντων δεσποτοῦν· ᾧ καὶ πᾶν τὸ σῶμα παρέδοσαν ὑπηρεσίαν αὐτῷ ξυναθροίσαντες θεοὶ. *Galenus* contra, quamvis in libro quodam cerebrum in universo ipsi pro animi sede placeat, tamen, quod multis locis fusius et accuratius explicat, ejus ventriculos maxime tanquam *πρῶτον αἰσθητήριον* consideravit. Cui sententiæ postea plerique physiologorum, v. gr. *Nemesius* [9]), *Arabes nonnulli* [10]), *Berengarius* [11]), *Landius* [12]), *Riolanus* [13]), *Albinus* [14]), *Hallerus* [15]), *Ithius* [16]), *Metzgerus* [17]), *Tiedemannus* [19]), *Platnerus* [19]), *Blumenbachius* [20]), *Brandisius* [21]) et inprimis *Soemmerringius* [22]) adstipulati sunt. Interea sententia ista, cui naturæ scrutatores olim vel plurimum tribuerunt, quamque nuperrime *Doellingerus* ab oblivione vindicare studuit [23]), inpræsentiarum, ne tædium nos capiat, tanquam crambe nimis sæpe et incrudite repetita, ad nugas doctas rejiciatur, necesse est [24]).

Deinceps alii fuerunt, qui in singulis cerebri partibus animi locum quæsiverunt. Ita corpus callosum *Bonteeoum* [25]), *Lancisium* [26]) et *Peyronium* [27]); centrum ovale *Vieussenium* [28]) corpora striata *Willisium* [29]), pons *Varolium* [30]), cerebellum *Drelincourtium* [31]), medulla oblongata *Schellhammerum* [32]), *Hoffmannum* [33]), *Blancardum* [34]), *κωνάριον Cartesium* [35]), *Eschenmeyerum* [36]), et *Ciceserum* [37]) arriserunt. Alii denique magis in hisce rebus versati et exercitati hanc provinciam sane valdopere duram cautius susceperunt, quippe qui spinosiora illa,

---

8) De *Hip.* et *Platon.* decret. lib. VIII. cap. 3.

9) De natura hominis, ed. *Matthaei.* Hal. 1802. p. 173. 10) *Hall.* elem. physiol. Tom. 4. p. 397. 11) Commentar. sup. an. Mund. fol. 444. 12) Pag. 56.

13) Encheirid. lib. IV. cap. 2. 14) De natura hom. §. 909. 15) Element. physiol. Tom. IV. p. 395. 16) Anthropologie, S. 192. 17) Anthropologie, §. 120. 18) Untersuchung über den Menschen, Thl. 2. 19) Quæstion. physiolog. pag. 57. 20) Institut. physiol. §. 192. 21) Von der Lebebenskraft, §. 10. 22) Das Organ der Seele, Königsberg, 1796.

23) Beiträge zur Entwickelungsgeschichte des menschlichen Gehirns, S. 18.

24) *Rudolphi*, comment. de ventricul. cerebri. Gryph. 1799.

25) *Hall.* bibl. anat. vol. I. p. 673. 26) Dissert. de sede cogit. animæ, Ven. 1713.

27) Memoires de *Montpellier* 1708. 28) Neurograph. c. 21. et 22.

29) De anima brutorum, cap. 10. 30) Epist. ad *Mercurialem*, Patav. 1573. 31) Opera anatom. ed. ab *Heyse.* Lugd. Bat. 1684. 32) Anal. anat. physiol. pag. 13. §. 25—30. 33) Phil. corp. human. pag. 3. §. 12. 34) Instit. medic. pag. 253. 35) Pass. animæ, Amst. 1664. art. 31. 32. 34. 36) Psychologie, Tübing. 1817. 37) System der Medizin. Bd. II.

quibus enucleandis veteres fere omnem vitam dicarunt, mittentes, modo in universum de connubio cerebri cum animi facultatibus disputarunt. Inter quos, ut imi subsellii patronos praeteream, præcipue *Zinnius*[38]), qui quasi viam aperuit et munivit, *Reilius*[39]), *Autenriethius*[40]) a *Waltherus*[41]), *Carus*[42]), *Treviranus*[43]), *Magendius*[44]), *Hartmannus*[45]), *Gallius*[46]), *Rudolphius*[47]), *Lenhossecius*[48]) flagranti studio et præstantissimo ingenio excelluerunt.

Tandemque nostris temporibus physiologi exstiterunt, qui divinam illam vim, quæ cerebro inest quamque antiquitas, ut modo enarravi, bene novit omnino negarunt, speciemque doctrinæ acuminis genere quodam, quod est in reprehendendis verbis versutum et sollers, sed sæpe frigidum, interdum etiam facetum, fucatam sibi finxerunt, qua arcem corporis augustam, quæ et nobilissimum et præstantissimum servat, quod natura creatrix hucusque producere posse videatur, petulanter infestarunt et cerebrum regno privare temere nitebantur. Siquidem isti[49]) statuerunt, cerebrum non arctioribus vinculis cum animo esse nexum, ac ceteræ corporis partes. Unde fit, ut *Jacobius* aliqua ratione saltem alter *Aristoxenus*[50]) evadat, qui ipsius corporis intentionem quandam, vel ut in cantu et fidibus, quæ harmonia dicitur, sic ex corporis totius natura, et figura, varias motus cieri, tanquam in cantu sonos, animum finxit. Sed dixit aliquid, quod ipsum quale sit, erat multo ante ejectum et explosum a *Platone*[51]) et alte sede Palladis matrix seposita mansit, propterea quod Dea pinqui et invita laborem moliebatur. Ne autem aculeis et stimulis dictionis nimium tribuisse videar, ad scite refutandam et funditus tollendam *Jacobii* sententiam, qua insitas opiniones evellit, novas inserens, jam sale utendum. Quod attinet ad ratiocinium, quo nititur, primum in universum significo, ipsum in commentatione non eundem judicii tenorem servasse, quoniam initio audax rationem antiquitus stabilitam et receptam, qua cerebrum intimo connubio cum animi facultatibus jungatur, a se eversum iri non

---

38) Experimenta circa corp. call., cerebellum etc. in vivis animal. instituta, Gotting. 1794. 39) Fieberlehre, Bd. IV. S. 41. 40) Physiologie, §. 1040. 41) Physiologie, Bd. II. §. 599. 42) Darstell. d. Nervensystems. S. 20 u. f. 43) Biologie, Bd. VI. 44) Physiologie, übers. v. Heus. Bd. II. S. 165. u. f. 45) Phys. des Denkens, S. 67 u. f. 46) Hinc inde in libro: sur les fonctions du cerveau. 47) Physiologie, Bd. II. Abth. II. S. 32. 48) Darstellung des menschl. Gemüths. S. 286.

49) Nasse, Zeitschrift für psychische Aerzte, Jahrg. 1818. Jacobi, Sammlungen f. d. Heilkunde der Gemüthskrankheiten, Bd. 2.

50) Ciceronis opera, recogn. *Schütz*. Tom. 14. pag. 46.

51) *Platon*. Phædo, edid. *Wyttenbachius*, p. 249.

solum pollicetur, verum etiam addit [52]) ipsi verisimile esse et persuasum, ceteras corporis partes ea in provincia cerebrum longe antecellere; sub finem disputationis admodum summisse incedens, jam eo contentus esse videtur, si reliquum corpus respectu ad animum eundem locum occupare ipsi concesseris. Quod cum unicum dubii falsique suspicionem ciere possit, tamen hic non commoremur, sed sedate et placide progredientes singula argumenta, quibus sententiam fulcire studuit, consideratius perpendamus. Librum evolventi statim querimoniæ de nefando abusu rationis illius occurrunt, qua diversarum cohortum animalia, si alte et a capite inde ab iis infimi ordinis ad hominem usque repetis, pedetentim proficiant. Cum autem hic nihil, nisi opiniones inanes et conjecturæ futiles proferantur, quibus sententiam a plerispue naturæ scrutatorum quasi sancitam: quo perfectior cerebri compages et structura, eo plenius et enucleatius singulæ animi facultates sese manifestant, labefactare tentat, inutile fore, autumo, si in hisce discutiendis diutius versarer. Deinde infitiatur, motuum arbitrium a cerebro pendere, non dubitans, quin esse possit, ut aliæ corporis partes arbitrii sedem locumve suppeditent, licet dissectis nervis, qui ad musculos eunt in iisque dissipantur, impediatur, quominus sub ea rerum conditione motus appareant. Sed quo ruat, quæso, doctrina de natura animalium, si istis insomniis janua aperiretur! sane omnia in pejus verterentur. Cur medicus, dum ad lectum hominis resolutione nervorum afflicti accedit, non in jocinoris labem, aut ventriculi vitium aut in cor degeneratum inquirit? me hercule, quoniam sincera experientia homines edocuit, motum omnino non istis partibus niti. Periculis enim, quæ physiologi in animalibus cautissime fecerunt, et morbis a medicis accurate descriptis, procul omni dubio constat, motum proxime referri ad cerebrum et medullam, quæ spinæ inest. Ceterum nostro lubentissime concedo, etiam cor, vasa, quæ sanguinem ducunt, pulmones, hepar partesque genitales, magnam vim exercere multumque conferre ut in alias animi incitationes ita etiam in motum; sed ejusdem fomitem non constituunt. Præterea sedulo anatomicorum studio compertum habemus, cerebrum cum nervis, qui per totum corpus distribuuntur, perpete nexu vinxi. Sed non perspicimus, quid ad hancce disquisitionem controversia illa jam dijudicata pertineat, num nervi hinc inde ex corpore oriantur et cerebrum quasi βλάστημα sit, anne potius ex cerebro ipso originem ducant? [53]) Sensus denique, qui post

---

52) l. c. S. 136 et 137.

53) Rudolphi, Physiologie, Bd. 2., Abth. 1., S. 20 u. f.

animi incitationes nonnunquam oriuntur, facile, dum ad cerebrum referuntur, fallere posse, fere neminem medicorum fugit, qui paulo accuratius observarunt atque rationem hujus conditionis intentius investigarunt [54]). Argumentum vero istud hic mittimus, propterea quod ad consilium, quod persequimur non multum facit. Considerans autem vicissim partes, quæ sensibus inserviunt, sedem cerebro adeo vicinam occupare et nonnisi nervorum ope in iis dissipatorum res, quæ extra nos versantur, animum afficere, ut earum conscius fiat, non possumus, quin huic ratiocinationi vel plurimum tribuamus, et ut tandem ad cerebri morbos et vitia progrediamur, quid est, quod clarius *Jacobii* errores convincat, quam argumenta exinde petenda? [55]) Licet quidem inpresentiarum nondum eo profecti simus, ut singulis animi facultatibus privas cerebri partes tanquam sedem adsignemus, quod ille callide et argute opponit, tamen nihil obstat, quominus, cerebrum totum *πρῶτον αἰσθητήριον* esse, placeat. Infitiandum quidem non est, reliquum corpus etiam magnam vim in cerebrum exserere ita, ut tali modo habitus quasi animi immutari possit et ex visceribus præsertim nobilioribus incitationes oriantur, quibus variæ et eædem diversæ animi partes pellantur, tamen exinde omnino non colligere licet, auriculam aut umbilicum eandem ad animum rationem habere, quam cerebrum. Quod etiam sagacissimus *Willisius* [56]) vir et ingenio præstans et scientia pollens optime perspexit, sed tantum abfuit, ut hac ratione nisus, cerebrum regno privare tentasset, ut indidem non sine argumento cognosci posse opinaretur, quinam cerebri circuli singulis animi partibus convenirent.

Quæ cum ita sint, nihil impedit, quominus jam consilium, cujus causa inprimis ad conscribendam commentationem me accinxi, ulterius prosequamur. Itaque primum in capite, quod sequitur, modos præcipuos, quibus materia cerebri cinerea in rerum natura copia diversa aggregata reperiatur, exponam, rati, ut illinc cum quanam animi facultate connubium ineat, optime erui possit. Quod vero adtinet ad compagem et indolem hujus materiæ et ad rationem, quam ad albam habeat, meum non est, ut hic ad vivum resecare moliar, tum ob spatii, quo angimur angustias, tum ob disquisitiones accuratissimas, quas jam physiologi oculatissimi eandem incudem tundentes, ut *Willsius* [57]), *Leuvenhoecius* [58]), *Ruyschius* [59]),

54) *Scarpa*, anatom. annot. lib. I. cap. 4.
55) *Rudolph.* l. c. S. 33.
56) De cerebro, cap. 1. p. 9.
57) De cerebro, cap. 10. p. 50. 58) Philosophic. trans. No. 85. et 168. 59) Thes. I. p. 30.

Hallerus[60]), *Albinus*[61]), *Hamberger*[62]), *Fontana*[63]), *Soemmerringius*[64]), *Johnius*[65]), *Piccelius*[66]), *Prochasca*[67]), *Barba*[68]), *Ceuffelius*[69]), *Reilius*[70]), *Gallius*[71]), *Carus*[72]), *Wenzelii*[73]), *Meccelius*[74]), *Treviranus*[75]), *Wutzerus*[76]), *Burdachius*[77]), *Rudolphius*[78]), de hac re affatim instituerunt. Materies flava *Soemmerringii*[79]) et *Gennarii*[80]), coerulea *Wenzeliorum*[81]), mollis nonnullorum *Gallorum*[82]), et nigra a plerisque physiologorum ad cineream referuntur[83]). Sed cum hic experientia fere omnino deficiat non possum, quin istam opinionem valdopere dubiam declarem.

CAPUT II.

DE MODIS PRAECIPUIS, QUIBUS NATURA CEREBRUM DIVERSARUM ANIMALIUM COHORTUM VARIA MATERIAE CINEREA COPIA DITAVIT, ET DE RATIONE INTER UTRAMQUE MATERIEM ET CINEREAM ET MEDULLAREM DIVERSA RESPECTU AD AETATIS DISCRIMEN. ACCEDUNT MATERIAE CINEREAE AEGRITUDINES.

Quemadmodum homo in universum a ceteris animalibus quam maxime differt, ita etiam ipsius compages nervorum præ reliquis partibus, e quibus corpus humanum componitur adeo insignis et peculiaris est, ut, dum illi bestiarum comparatur, omnino ipsi proprium quid inesse videatur. Quod argumentum unicum jam sufficit, ut cum animalia distributione quadam in ordines quasi redigantur, homini inprimis locum singularem et quidem supremum concedamus. Quin imo respectu ad majorem minoremve materiæ cinereæ copiam, qua cerebrum diver-

68) Element. physiol p. 29. 61) Annot. academ. I. p. 39. 62) Ital. l. c. p. 20. 63) Vipernaift, S. 373. 64) Abh. der Münch. Akademie, 1808. Taf. 1. 65) Chem. Tab. des Thierreichs, S. 74. 66) Sömmerring, Nervenlehre. S. 35. 67) Structura nerv. p. 67. 68) Reil, Archiv X., p. 461. 69) Reil, l. c. p. 138. 70) Archiv, IX. p. 885. 71) Système nerveux, I. p. 49. 72) Nervensystem, p. 57. 73) De penit. cerebr. structura, Cap. 6. 74) Anatomie, Vol. I. p. 263. 75) Biologie, Vol. V. p. 320. 76) De c. h. gangl. fabric. p. 53. 77) Vom Baue und Leben des Gehirns, Vol. I. p. 32., Vol. II. p. 6. 78) l. c. §. 252. 79) De basi encephali, p. 182. 80) De peculiari struct. cerebri, Parm. 1782. 81) l. c. p. 186. 82) *Cuvier*, vergl. Anatomie. Vol. II. p. 94. 83) *Meccelius*, l. c. *Carus*, Nervensystem p. 65. *Burdachius*, l.c. Vol. I.p. 169. *Rudolphius*, l. c. p. 15.

1) Rudolphi, Physiologie Bd. 2. Abth. 1. S. 7.

sorum animalium præditum est, ipse seorsum ponatur necesse est, propterea-quod minimam ejus vim in homine cernere licet eamque ob causam (quod postea magis elucebit) longe nobilior et præstantior evadit. Ne autem hæc sententia tanquam futilis respuatur et rejiciatur, præsertim cum viri[2]) admodum egregii hac in re mihi refragantur, non inutile fore existimo, si eam argumentis sat firmis fulcire studebo. Quod ut assequar omnia animalia secundum cl. *Rudolphium*[3]) in sequentes famillias dispono: ut exinde facillime ab homine usque ad infimi ordinis animalcula materiem nervorum cineream copia proficientem quasi uno conspectu cognoscere possis. Quarum prima, quæ animalia nervis prædita (phaneroneura R.) complectitur, in duos ordines dispescitur. Priori animalia, quæ duplex nervorum compagis genus exhibent (diploneura R.) inseruntur, posteriori vero ea inscribimus, quæ simplicem istius modi compagem (haploneura R.) manifestant. In illa enumerantur animalia mammis prædita, aves, amphibia et pisces.

Hominis cerebrum mittimus, cum rationes, quibus diversa copia materies cinerea accumulatur, notissimæ sint. Quod adtinet vero ad cerebrum animalium mammis præditorum, primum corpus callosum, quod in avibus deficit, tanquam commissuram, qua lobi cerebri insignes arctiori vinculo nectuntur, invenimus. Præpollens materia fibrosa exigit istam commissuram, qua partes coërceantur. Namque, cum in avibus pedunculi cerebri magni in lobos profecti jam statim in gangliorum formam immutantur ita, ut cerebri pars anterior fere prorsus ex materia cinerea constet, quod et conformationem istarum partium, qualis in animalculis inferiorum ordinum apparet, in memoriam redigit, ubi etiam accumulatione istius materiæ præcipue efficitur, ut cerebrum prævaleat, ita econtra in cerebri lobis animalium mammis præditorum procul omni dubio medulla præponderare videtur[4]). Quemadmodum autem animalium series in universum si inde abs homine repetis, pedetentim, dum ad animalia inferioris cohortis prosequeris, materia cinerea evidenter proficiunt, ita etiam in istis animalibus jam observare licet, in minus perfecti sensim sensimque medullam diminui. Tali modo a gliribus, in quibus cortex abundat ad aves transimus.

---

a) Cuvier, Vorlesungen über vergleichende Anatomie, übersetzt von Meckel, Thl. 2. S. 93.
3) Beiträge zur Anthropologie und allgemeinen Naturgeschichte. S. 81.
4) Carus, Versuch einer Darstellung des Nervensystems, S. 223.

Omnes, qui avium cerebrum diligentius pervestigaruut, ut *Hallerus*[5]), *Blumenbachius*[6]), *Carus*[7]), *Tiedemannus*[8]), *Francius*[9]), *Meccelius*[10]), *Treviranus*[11]) in eo conveniunt, maximam in eo materiæ cinereæ copiam reperiri. Præcipue in interioribus posita est, quod *Willisius* jam invenit. In παρεγκεφάλιδι vero solito more ad exteriora spectat. Cum jam ad amphibia ventum est sane animalium classem, in qua si uspiam alias, conformationem perpete gradu perfectioni derficientem admirari licet, *Sprengelii*[12]) opinionem, primum in avibus duplicis substantia vestigia reperiri, tanquam falsam rejicimus. Pars an ica cerebri ranarum duas portiunculas monstrat, quæ omnino gangliorum naturam et formam præ se ferunt. Pars media et postica etiam plus minusve colorem e rubro glaucum habent. Quod adtinet denique ad partem illam extremam, cujus ratio ad reliquam cerebri molem, adhuc perobscura, mihi persuasissimm est, illam quasi rudimenta cerebelli formare. Testudines fere eandem cerebri speciem nobis ostendunt; ganglia olfactoria ex fibris, quæ ex partibus cerebri mediis originem ducunt. Eodem fere modo serpentum et lacertarum cerebrum paratum est; modo quod hic major medullæ copia. Piscium cerebrum nihil est nisi series gangliorum quædam non omnino quidem a se invicem sejunctorum, sed fasciculis medullæ spinalis in cerebrum propagatis intime vinctorum. Ganglia non materiam solam cineream continent, verum etiam fibrosam, quod v. g. in anguilla observatur, ubi funiculi medullæ spinalis in ganglion olfactorium propagantur. Accedimus jam ad animalia, in quibus simplex nervorum compages conspicitur, quæque porro in cohortes duas dividuntur. Prior animalia, quæ columnam medullarem cordæ spinali animalium superioris familiæ similem habent, complectitur, posterior vero illa, quæ talem fere nervorum compagem monstrans, qualem gangliorum series in illis animalibus, de quibus modo tractavimus.

Interea spatii angustiæ impediunt, quominus animalia, quæ vertebrarum columna carent, sespectu ad majorem minoremve materiæ cinereæ copiam et indolem pecuiarem, singulatim examinemus. Quapropter non passum, quin lectores petam, ut libros, in quibus de hac re fusius tractatur, adeant. Ceterum, ne videatur, corticem in crustatis, insectis et aranearum speciebus desiderari[14]), pervestigationes

---

5) Opera minor. Tom. III. 6) Vergl. Anatomie. S. 814. 7) l. c. S. 196. 8) Zoologia. Bd. II. S. 12. 9) Reils Archiv, Bd. 11. S. 220. 10) Meckels Archiv, Bd. II. S. 25. 11) Biologie, Bd. VI. S. 165.

12) Institut. medic. Tom. II. pag. 185.

14 *Cuvier* l. c. p. 94.

Swamerdamii[15]) in memoriam revoco, qui jam in apibus materiem cerebri cineream pulcre medullari interpositam observavit. Quousque anatomici cultro penetraverunt nervosque invenerunt[16]) eo usque materiam cineream pedetentim copia proficientem prosequi licet. Quin imo *Gallius*[17]), corpus polyporum ex ista materia constare censet.

Enarratis præcipuis modis, et conditionibus variis succincte expositis, quibus cortex diversa copia in animalium ordinibus reperitur, jam contemplari juvat, quemadmodum ipsius copia pro ætatis discrimine in una et eadem specie variet. Quod re vera nullibi adeo mirum in modum apparet, quam in homine. Experientia enim physiologi didicerunt, ne quaquam in fetus cerebro utramque materiem inveniri, e quibus in hominibus post partum componitur. Initio, uti medulla, quæ spinæ inest, liquor pellucidus est; paulatim fit tenacius; dein sensim sensimque duriusculum evadit, ubique colorem rubrum et subbalbicantum præ se ferens. Omnes cerebri partes, quæ in homine jam adulto materie cinerea abundat, v. g. pedunculi, ubi nigra vulgo nuncupatur, corpora striata, colliculi nervorum opticorum; modo vasa, quæ sanguinem ducunt, in hisce ampliora reperiuntur, quam in illis partibus, quæ in ætate provectis, medulla constant. Ita *Wenzelii*[18]), *Meccelius*[19]), *Tiedemannus*[20]), *Reilius*[21]) et *Soemmerringius*[22]) referunt. Quod adtinet ad statum tempus, quo utraque materis in conspectum venit, compertum habemus, infantis vix nati *μυελὸν ῥαχιτὴν* ipsas adeo distinctas exhibere, uti postea apparere solent; modo, quod memoratu dignissimum esse videtur, pro rata huicce corporis parti major copia ejus inest, quam in paululum adultioribus. Dum crura versus faciem posteriorem tendunt, in utraque parte aperte conspicitur. Inferior pars medullæ spinalis omnino ex cinerea constat. Mense post partum prætermisso, primum in cerebello, in quo et in posterum copiosior[23]), quam in cerebro observatur, rami tenues arboris, qui vitæ dicitur, nondum medullares evadunt corpusque ciliare majus apparet, quam paulo post occurrere solet. Modo

---

15) Bibl. natur. p. 498.

16) *Haller*, element. physiolog. Tom. IV. p. 252. *Carus*, l. c. p. 67. *Rudolphi*, l. c. *Meccel*, Anatomie, Vol. I. p. 308.

17) Anatomie und Physiologie des Nervensystems p. 91.

18) De penit. cerebri struct. p. 299. 300. 19) Deutsches Archiv für Physiologie, Vol. I. p. 418. 20) Bildungsgeschichte des Gehirns, p. 80. 21) Reils Archiv, Vol. VIII. pag. 393. 22) Nervenlehre §. 37.

23) Autenrieth, Physiologie. Vol. III. 27.

dum stratum pollicem altum removeris medulla conspicitur, quae Zonula rubra cingitur. Corpus callosum cinereum sæpissime colorem exhibet, et omnes partes, quæ in ventriculis reperiuntur, corticis structuram monstrant. Pedunculi cerebri versus inferiora et præcipue intus, plerumque autem quoad maximam partem fusco colore induti sub oculos cadunt. In corporibus striatis et cinerea et medullaris materia singulatim obveniunt atque discrimen apertius monstrant, quam postero vitæ tempore. Ceterum constat, quod et optimi scriptores contendunt, quamvis nonnulli referant, circa mensem sextum post partum fere eandem utriusque materiae copiam ac postea, cum homo jam adoleverit, adesse posset [24]), in cerebro infantum, testibus *Teissierio* [25]), *Ludwigio* [26]) et *Soemmerringio* [27]), semper materiem cineream præponderare.

Quod spectat ad morbos, quibus cortex nonnunquam affligitur, et quidem præcipue ad animi mentisque alienationes, quæ exinde originem ducunt, jam dudum medicis vel persuasissimum est, eos vel impotentia facultatum vel ratione turbata atque perversa inprimis niti [28]). Prior species, quæ vulgo dementia audit, sæpius observatur. Qua afflicti facultate plerasque animi functiones exercendi fere omnino carent. Sensus vel integri sunt vel impediti, ut fortiores duntaxat et rudiores impulsus auditum aut visum feriant. Recordatio haud juxta ac imaginatio labascit; imaginationis vero nulla vis est, hinc ingenium tenue, tarda intelligentia, judicium puerile. Cum voluptatum genere, quod altioris indaginis est, non delectentur, more brutorum eos amant, qui vel cupedias vel alia sensuum oblectamenta largiti sunt. Libidinosi igitur et salace, gulones etiam et bibuli esse consuescunt. Dum in cerebrum tali vitio mortui inquirimus, vix ac ne vix quidem materiæ cinereæ vestigia reperies [29]). Ubi cortex inflammatione corripitur, altera animi alienatio oritur, quam furorem dicimus. Violentissima insaniæ species, qua et voluntas pervertitur et vehementissimi musculorum motus, et ipsi et aliis noxii efficiuntur.

---

24) *Meccelius*, l. c. 25) De substantia corticosa ac medullosa cerebri, Lugd. Batav. 1810. p. 7. 26) De ciner. cerebr. substantia. p. 22. 27) Vom Bau des menschlichen Körpers, Vol. V. p. 28.

28) Rostan, Untersuchungen über die Erweichung des Gehirns, übersezt von Fechner, Leipzig 1824. S. 272.

29) Marshal, Untersuchungen des Gehirns im Wahnsinn uud in der Wasserscheu, übers. von Romberg, Berlin 1820 p. 118 u. f.

CAPUT III.

DE ANIMI FACULTATE, QUAE A MATERIE CEREBRI CINEREA PENDERE VIDETUR.

Materie cerebri cinerea a *Vesalio* [1]) reperta, fieri non potuit, quin phsyologi in cerebri partium functiones inquirentes etiam eo uiterentur, ut efficaciam huic parti forsan peculiarem investigarent. Inde factum est, ut plures eæque quandoque diversæ sententiæ divulgatæ sint. Siquidem nonnulli eam pro unica animi facultatum sede habuerunt; alii econtrario fabulati sunt, modo eo consilio adesse, ut cerebrum haberet, unde alimenta capere posset. Cujus rei conatus, quos *Willisius* [2]), *Malpighius* [3], *Boerhavius* [4]), *Ludwigius* [5]), *Hallerus* [6], *Mayerus* [7]), *Accermannus* [8]), *Reilius* [9]), *Gallius* [10], *Wenzelii* [11]), *Prochasca* [12], *Delayus*, *Fovillius*, *Pinelius*, *Rostanius* [13]), *Treviranus* [14]), *Waltherus* [15]), *Meccelius* [16]), *Carus* [17], *Tiedemannus* [18]), *Ennemoserus* [19]) et *Car. Mayerus* [20]) ceperunt, persuasissimum nobis reddunt, quam difficile sit eruere connubium, quo vel animus totus vel saltem pars quædam ipsius cum materia cerebri cinerea jungatur. Itaque est opus arduum, quod inpræsentiarum suscipere constitui. Sed nihil difficile amanti puto.

Dum gradus præcipuos ac modos, quibus alma natura ordines animalium respectu ad majorem minoremve materiæ cinereæ copiam diversos posuerit et diduxerit, sane non possumus, quin miremur, quam prompte et clare a gangliorum seu materiæ corticis tumorum forma sensim sensimque adscendant ad perfectissi-

---

1) De corp. human. fabric. lib. VII. Basil. 1543. libr. sept. cerebr. et cap. Cur *Choulantio* Car. *Stephanum* inventorum statuere placuerit, equidem non video. Namque iste opus, de dissect. part. corp. human., primum Paris. 1545 vulgavit. Vide *Pierer*, Anatomisch-physiologisches Realwörterbuch, Bd. 3. S. 629 et *Halleri* biblioth. anatom. Tiguri 1774. Tom. I. p. 185.

2) De anima, cap. 10. p. 50. anatom. cerebri p. 93. 3) p. 83. 4) Impet. fact. Hippocrat. p. 84.

5) Ciner. cerebr. subst. p. 32. 6) Element. physiolog. p. 392. 7) Beschreibung des Nervensystems p. 87. 8) Nerv. syst. primar. p. 98. 9) *Reils* Archiv. vol. IX. p. 495. 10) Systeme nerveux, I. p. 75. 11) De penit. cerebr. structur. p. 69. 12) Structura nerv. p. 67. 13) Erweichung des Gehirns p. 14) Biologie, vol. V. p. 166. 15) Neue Darstellungen aus der Gallschen Gehirn- und Schädellehre, München 1804. p. 151. 16) Anatomie, Vol. I. p. 310. 17) Nervensystem, p. 103. 18) Anatomie und Bildungsgeschichte des Gehirns, p. 89. 19) Ueber die nähere Wechselwirkung des Leibes und der Seele, Bonn 1825. p. 32. 20) Postea præceptoris clariss. sententiam proferam.

mam illam summeque compositam nec tamen minus satis junctam cerebri humani compagem, quæ utramque materiem et medullarem et cineream in omnibus propemodum partibus distincte sejunctam monstrat et stupendo fere artificio medullam adeo elaboratam ostendit, ut ratione ad corticem, qui in animalibus inferiorum ordinum majori copia apparet, tantopere præpolleat. Quodsi neque ullum animal reperiatur, cui modo vestigia nervorum insunt, in quo non simul diversitas ista materiæ observetur[21]), jam inde colligere fas est, hancce fabricam pro diversis animalium speciebus ac pro earundem diversa ætate omnino variam, licet sub certis conditionibus cetera fere eadem perseverent, quam plurimum conferre ad constituendam animi efficaciam non solum, sed etiam quam maximi momenti esse ad fingendum ejus habitum peculiarem ita, ut altera alterave facultas, quæ animo inest, illi cinerea cerebri parti quasi correspondere videatur. Quod cum plures physiologi et psychologi jam dudum optime perspexerint, functionem istius generis accuratius enucleare pro virili nitebantur. Sunt autem nonnulli, qui postquam compertum erat, materiem, in quam cautius inquirimus, et in primis eam, quæ toros marginales conformat, majori ac medulla vasorum copia abundare, exinde statuere ausi sint, illam prorsus nullam ad animum rationem habere, sed modo esse idoneam, ut illuc medullæ alimenta adveherentur. Tantum quidem abest, ut equidem majorem in cortice vasorum copiam negare audeam, ut ea in re potius iis adstipuler, quæ *Willisius*[22]), *Leuvenhoecius*[23]), *Ruyschius*[24]), *Ridlejus*[25]), *Hallerus*[26]), *Albinus*[27]), *Soemmerringius*[28]), *Gordonius*[29]), *Meccelius*[30]), *Treviranus*[31]), *Rudolphius*[32]) aliique complures observarunt, tamen non possum, quin ingenue fatear, me prorsus fugere, quomodo physiologi in illam sententententiam sane ineptam inciderint. Quod adtinet ad *Gallium*, qui ex uberrima et amplissima materiæ cinereæ aggregatione, ubi nervorum fasciculi aut fibrillæ medullares oriantur, dispergantur et augeantur, colligi posse existimat, veram esse nervorum matricem et nutricem, significare juvat, illum a *Tiedemanno*[33]), scrutatore oculatissimo, prorsus refutari, quippe qui jam primis graviditatis mensibus origines nervorum spinalium vidit, licet ne vestigia quidem materiæ cinereæ tum

---

21) *Rudolphi*, Physiologie. Vol. II. sect. I. p. 16.

22) Cerebrum. c. 10. p. 50. 23) Philosoph. transact. 1685. Nro. 158. p. 883. 24) Thesaurus I. p. 30. 25) p. 27. 26) Elem. physiol. p. 29. 27) Adnot. academic. I. p. 39. 28) Abhandlungen der Münchner Akademie, 1808. Tabula I. 29) p. 126. 30) Anatomie, Vol. I. p. 246. 31) Biologie, Vol. 5. p. 320. 32) Physiologie, Vol. II. sect. I. p. 15.

33) Anatomie und Bildungsgeschichte des Gehirns, pag. 85.

temporis apparuerint. Denique opinio, quam *Monrous*[34]), *Gallius*[35]), *Sprengelius*[36]) et *Carus*[37]) vulgaverunt, dum per corpus sese propagant, non modo materia cinerea stipari, sed etiam sub finem, ubi omnino dissipati quasi in eam solverentur, plane rejicienda est, cum hucusque, ut *Meccelius*[38]) et *Rudolphius*[39]) recte aiunt, nemo tale quid oculis perceperit.

Alii autem fuerunt v. g. *Rostanius*, *Delaius*, *Fovillius* et *Pinelius*[40]), qui sententiam modo refutatam irridentes materiæ cinereæ quasi principatum tribuerunt ipsamque animi esse sedem locumque dixerunt. Quod itaque *Piccolominius*[41]) et *Boerhavius*[42]) modo obiter significarunt id physiologi Gallorum nostris temporibus sibi re finxerunt. Sed opinio ista utique redarguitur, tum quod observationes, quibus fulciatur, non sat accurate et fideliter institutas esse censeo, tum quod rationi, qua materia cinerea in animalibus diverse distributa est, manifeste repugnat. Siquidem inde flueret, necesse est, ut in animalculis inferiorum ordinum intelligentia perfectior reperiatur, quam in homine; quoniam ipsius cerebrum præ ceteris animalibus minimam materiæ cinereæ copiam nobis ostendit.

Præceptor egregius et de rebus physiologicis valdopere meritus *Mayer*, mihi benigne concessit, ut ipsius de nostro argumento sententiam, quam in prælectionibus de physiologia habendis tradere solet, hac commentatione vulgarem. Qui vir ingeniosus acute statuit, materiem cineream quasi elementum suppeditare, in quo motus et vibrationes fibrarum medullarium verisimiliter animi actiones concomitantes facilius et liberius peragi possent. Superest, ut tandem *Treviranum*[43]) audiamus ejusque opinionem, qua instinctus cujusdam sedem in cortice ponit, radicitus evellamus.

Quæ, dummodo primoribus quasi labris gustetur, speciem veri quandam præ se ferre videtur, ad vivum autem resecata, perspicuum fit, non minus argumentis sat firmis, quibus fulciatur, carere, ac ceteræ, quas hucusque physiologi proposuerunt. Mihi id consilii est, ut rationibus partim ex ipsissimi operibus petitis partim aliunde allatis, sententiam istam refellam et funditus tollam.

---

34) p. 23, 35) Systeme nerveux. I. p. 124 et *Spurzheim* p. 20. 36) Institut. medic. Vol II. p. 191. 37) Darstellung des Nervensystems. p. 103.
33) Anatomie. I. p. 309. 69) Physiolog. Vol. II. Sect. I. p. 14.
40) l. c. p. 272.
41) Lib. V. lect. 3. p. 252. 42) Quat. lib. III. c. 3. p. 316.
43) Biologie, Vol. VI. pag. 166.

Ille autem sic ait: credo equidem cerebri nervorumque efficacitatem a cortice omnino pendere. Quæ enim ad altiorem conditionem evecta suique conscia eo magis ad eam animi perfectionem accedit, qua animalia diversa sese sponte sua juxta formam primitus mente comprehensam, rebus, sub quibus vivunt, accommodant, quo distinctius medulla a materie cinerea discernatur. Ubi vero non adeo subtiliter diremtæ apparent, ibi animalia absque omni indagine viribus animo insitis quasi caeca diriguntur. Cum vero omnes animi functiones, quæ ex instinctu fiunt, potius ad causam referendæ sunt, quæ ipsi animo inest, quam, quæ extrinsecus vim exseruit, cumque instinctus præcipue in avibus, amphibiis et piscibus vigeat, inde explanari potest, cur cerebrum trium inferiorum animalium classium, majorem, respectu ad medullam habito, materiæ cinereæ copiam possideat, quam in animalibus mammis præditis. Quæ quidem etiam, dum homini comparantur ejusdem materiæ copia præpollent. Superfluum foret, viri egregii commenta hic fusius enarrare, cum in libro, quem modo laudavimus, commode legi possint. Nos examini incumbere oportet, quo in sententiam inquiritur, an vera sit, nec ne. Quid? Si rogavero, quidnam sit instinctus. Plerique physiologorum tam diversas et controversas opiniones de notitia hujus facultatis accuratiori exhibenda habuerunt, ut deus aliquis viderit, quæ ex haece fabularum farragine, ad veri simillimam proxime forsan accedere videatur. Hæc enim vox plerumque apud scriptores occurit, ubi naturam et indolem incitationum, quibus animus pellitur, paululum scitius significare non possunt. Unde fit, ut res jam obscuras majoribus tenebris obruant. Quod cum ita sit, necesse est, ut in posterum vel prorsus explodatur et rejiciatur vel sensus, qui sub ea lateat, accuratius definiatur et diligentius, quam a plerisque fieri solet, respiciatur. Inpræsentiarum nihil est nisi vocabulum inane, cum quo sedula et inerudita scriptorum caterva operam temerarie lusit. Ita nonnulli, licet ceteroquin viri ingeniosissimi, instinctum vim quandam vocaverunt, quæ adinstar affinitatis [44]), qua in rerum natura corpuscula concursu quodam fortuitu ligantur et solvuntur, sese manifestet cujusque impulsu animalia citata absque omni arbitrio agere incipiunt. At sane, si bestiarum animi nil, nisi tale quid essent, reapse iis non convenirent. Qua in re *Laplacius* [45]) consultius fecisse mihi videtur, qui quidem etiam de specie affini-

---

44) Wagner, die Natur der Dinge, Leipzig 1803, §. 471—473. *Wenzelii* l. c. p. 246.
45) *Essai* philosophique sur les probabiltés. 2. édit. Paris 1814 p. 173.

tatis quadam disserit, secundum quam animalia inferiorum ordinum varia opera usque eadem faciunt; sed eam ad φαινόμενα refert, quæ ab aliis animi motibus luculenter distinguit quæque simulacrum illius efficaciæ constituunt, qua in rerum natura et connubium et sejunctio corporum efficitur. Notio instinctus, quae vulgo exhiberi solet et quam *Hartmannus*[46]), *Burdachius*[47]), *Lenhosseccius*[48]) et *Magendius*[49]) nuperrime proposuerunt valdopere vaga et manca est, propterea quod animalia saepius vitae actiones exercent, quae quidem ab omnibus in seriem earum poni solent, quas instinctus quidam praecedit, licet incitatio ad tales animi motus non ea sit, quam fere omnes tanquam instinctui peculiarem praedicant. Ita fascinationis exempla, quae *Mointaignius*[50]), *Calmius*[51]), *Michaelis*[52]), *Bartramius*[53]), *Dobrizzhoffer*[54]), *Forster*[55]), *Berrorius*[56]) et *Zimmermannus*[57]) fideliter enarraverunt et prae ceteris illa motuum miracula, quae *Agardhius*[58]) in animalium rudimentis (sic enim dici possunt) observavit et ingeniosissime explicavit, ubi *Monas Lens M. H.* et *Vibrio Bacillus M.* versus os apertum ventriculi *Vorticellae Convallariae M.* pellebantur, ut quamvis reluctantes demum in eo condita sint, luculenter monstrant, notitias huncusque exhibitas prorsus non sufficere. Quae cum jam *Trevirani* sententiam refellere possint, quoniam ipse non accuratiorem instinctus definitionem dedit, tamen ceteris non supersedendum censui. Quippe ipsissimus[59]) alibi inquit, instinctum in nervis singularum corporis partium esse situm, rationem inserens, animalia non perinde instinctu proficere ac cerebri compagem perfectiorem evadere.

Superest ut tandem meam de connubio, quo animus cum materia cerebri cinerea jungitur, sententiam proferam. Ad argumenta, quae capite secundo tradidi,

---

46) Physiologie des Henkens p. 234. 47) l. c. vol. I. pag. 50. 48) l. c. p. 9. 49) Précis élémentaire de physiologie. Paris 1825. Tome premier, p. 207.

50) Gedanken und Meinungen über allerlei Gegenstände. Vol. I. p. 176. 51) Abhandlungen der Schwed. Akad. der Wissensch. J. 1753. S. 61. 52) Göttingisches Magazin von Lichtenberg und Forster. Jahrg. 4. R. 4. S. 114. 53) Berliner Magazin der Reisebeschreibungen. Vol. X. 54) Geschichte der Abiponer. Thl. 2. S. 338 u. f. 55) Berl. Magaz. der Reiseb. Bd. 12. 56) Reisen in das Innere von Südafrica, Leipzig 1801. S. 174. 57) Barton, über die vermeinte Zauberkraft der Klapperschlange. S. 7. 58) Beobachtung einer der Zauberkraft höherer Thiere ähnelnden Erscheinung bei Infusorien. vide Verhandl. der K. L. K. Akad. der Naturforscher, Vol. II. p. 129.

59) Biologie, Vol. V. p. 438—440.

respiciens, mihi persuasissimum fit, sentiendi facultatem inprimis a materia cerebri cinerea pendere. Namque homo, cum fetus curriculum degit, animi expers est; ut *Bichatius* [60]), *Platnerus* [61]), *Herholdtius* [62]) et *Nassius* [63]) jam opinabantur; quoniam diversitas materierum, quarum conflictu animi incitationes exoriuntur, plane deficit. Quae quidem ratio mihi unica esse videtur, qua sententia, fetum animo carere, rite firmari possit. Post partum vero prae ceteris animi facultatibus sentiendi vim praepollere, omnes psychologi unanimes contendunt [64]). Quae animi pars etiam, si inde abs homine repetens animalium seriem usque ad minus perfectorum cohortes persequeris, postquam ceterae fere omnes evanuerunt, quasi totum animum constituere videtur. Et quae tandem ratio luculentius convincit, sentiendi facultatem praesertim in cerebri cortice sedem habere, quam vitia, quibus iste corripitur. Namque omnia *συμπτώματα*, quibus stipari solent, ad sensum perversum et turbatum referuntur [65]).

---

60) Recherches sur la vie et la mort, art. 8. §. 1. 61) Quaestiones medicinae forensis, Lipsiae, 1824. p. 259—263. 62) De vita fetus. 63) Zeitschrift für die Anthropologie. Jahrgang, 1824. Heft I.

64) *Nasse* l. c. p. 13.

65) Lenhossék, Darstellung des menschlichen Gemüths, Vol. II. p. 7.

FRANCISCI GUILELMI DOLFII VITA.

Natus sum Bedoburgi, quod circiter quindecim milia passuum a Colonia Agrippina abest, ex ante diem septimum Calend. Decembr. MDCCC, patre *F. A. Dolf* et matre *El. Cemps*, qui summo studio curarunt, ut mihi jam a teneris unguiculis prima literarum elementa traderentur. Quo consilio ludimagistrum frequentavi et ab addiscenda lingua vernacula, francogallica et latina initium feci. Postea in Gymnasium, quod apud Agrippinates est, delatus ab ill. *Seber*, qui jam Rhenanam ornat, tum temporis vero illi scholæ præfuit, in classem quintam susceptus sum. Ibi per annos quatuor et dimidium commoranti, præceptores optimi: clar. *Dilschneider*, clar. *Goeller*, clar. *Nussbaum*, clar. *Ohm*, clar. *Rigler*, ill. *Seber*, clar. *Villmann* eas disciplinas artesque impertierunt, quibus puerilis aetas in hisce synagogis literariis, quemadmodum rerum conditiones aevi nostri exegerunt, mutatis et reformatis, imbui solet. Primam ingressus, semestri spatio hiberno prætermisso, ob adversam valetudinem, in domum patris me contuli. Mox ancipiti morbo liberatus anno MDCCCXXII in Academiam Rhenanam migravi, ibi rei medicæ, quam præ ceteris amo, operam navaturus. Ill. *Gratz*, rectore magnifico, ill. a. *Walther* tum temporis ordinis medicorum decanus, me numero eorum adscripsit, qui medici fieri student. Etsi vero potissimum arti salutari, non tamen huic unicæ, postpositis et neglectis ceteris, studui, sed illis etiam disciplinis, quæ philosophiæ annumerantur, pro virili parte incubui. Quare ab ill. *Heinrich* benigne exceptus Seminarium Regium Philologicum ingressus, tanquam sodalis extraordinarius illarum exercitationum, quae in illo ill. *Heinrich* directore et ill. *Naeke*, inspectore, habentur, per annum integrum particeps fui. Quorum ille Thucydidis librum de bello peloponesiaco et Horatii odas; hic vero Virgilii carmina κατάληκτα et Platonis Alcibiadem secundum interpretanda proposuerunt. Praeterea Pindari carmina et Horatii odas ab ill. *Welker*, carmen de Nibelungis ab ill. a *Schlegel*, inpraesentiarum capite Academiæ magnifico, ab ill. *Brandis* τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ Aristotelis explicari audii. Ill. *d'Alton* Graecorum Romanorumque Architecturæ archæologiam et ill. *Hullmann* res a Germanis gestas et historiam imperii germanici illamque mercaturæ mihi exposuerunt. Lectionibus philosophicis, quas ill. *Seber* de psychologia et logice, ill. *Nasse* de anthropologia, ill. *Calker* περὶ τῶν μετὰ τὰ φυσικά, ill. *Brandis* de Cantii et Fichii placitis philosophicis recte enucleandis habuerunt, interfui. Quod adtinet ad physica, ill. *Nees ab Esenbeck* sen., philosophiam de natura et botaniceen, ill. *Nees ab Esenbeck* jun., doctrinam de plantis cryptogamis ac medicinalibus (quo duce etiam per duo semestria spatia æstiva, agrum vicinum silvas-

que peragravi, ad indagandas plantas indigenas, ill. *Goldfuss* Zoologiam, Zootomiam et Mineralogiam, ill. *Bischoff* Chemiam experimentalem, Zoochemiam et Phytochemiam, ill. *a Münchow* Physicen et Astronomiam me docuerunt.

Ratio vero studiorum medicorum hæc fuit: ill. *Weber* de osteologia et anatomia, ill. *Mayer* de anatomia tam generali quam speciali, ill. *Nasse* de physiologia hominis et animalium ter, ill. *Harless* de pathologia generali, de cognoscendis et curandis morbis inflammatoriis, et de pharmacologia et semiotice, ill. *Stein* de arte obstetricia et operationibus ejusdem generis, quibuscum exercitationes junxit, ill. *a Walther* de chirurgia, de operationibus chirurgicis bis, de ossibus luxatis fractisque, de fasciis et deligationibus chirurgicis et de morbis oculorum; ill. *Nasse* de Therapia tam generali quam speciali bis, de diagnostice et de morbis animi mentisque; ill. *Bischoff* de medicina forensi disserentes frequentavi.

Ceterum exercitationibus anatomicis ill. *Mayer* et *Weber*, medicis ill. *Nasse*, chirurgicis ill. *a Walther*, obstetriciis ill. *Stein* ducibus operam dedi.

Per semestre spatium aestivum, quod jam excurrit, praelectiones ill. *Schlegel*, de re metrica linguae patriae et dictionis poeticae indole exemplis, quas e carminibus poetarum nostratium petiit, illustratis; ill. *Niebuhr*, de rebus Graecorum post pugnam Chaeronensem gestis; ill. *a Walther*, de ossibus luxatis fractisque adii.

Cum Natalitiis regis nostri potentissimi anno MDCCCXXII gratiosus medicorum ordo hanc quæstionem proposuisset; Exhibeatur febris synochi sive putridæ veterum definitior notitia ejusque certior diagnosis generica, non solum hujus febris decursum exitusque in genere describendo sed ipsam tam cum typho quam cum causode et cum aliis febribus simile quid habentibus comparando, me certamini accingere ausus, in arenam descendi. Libellus, quem ordini apollineo exhibueram, „ob ingeniosam argumenti tractationem et diligentiam, quam agnoscere licuit“ præmium regium unanimi ordinis consensu retulit. Quod reliquum est, ne oblitus videar præceptorum pia memoria usque prosequendorum, hic publice significo et spondeo, me, dum spirem, animum probum mentemque gratam, ut hucusque fovi, etiam fideliter servaturum, nec unquam in posterum eorum immemorem futurum, quorum doctas scholas adii quique comiter me exceperunt. Sint salvi omnes, et ut res eorum ex optato succedant, vota facere non desinam.

Dab. die III. ante idus Augusti MDCCCXXV.

POSITIONES CONTROVERSAE.

I.

Saltem octo fuerunt Hippocrates.

II.

Quid ex reliquiis Ἀσκληπιάδων Κώων *Hippocrati secundo tribuendum sit, hucusque non dijudicatum est.*

III.

Hydrops ventriculorum cerebri acutus in quovis curriculi momento accurate dignosci potest.

IV.

Glaucoma nec morbus retinae, nec morbus corporis vitrei.

V.

Sunt certa polyporum cordis signa διαγνωστικά.

VI.

Paratio pupulae vicariae in tunica sclerotica omnino rejicienda.

VII.

Inflammatio, qua talis, non peculiare medicinae genus postulat.

VIII.

Saccus herniarum semper linquendus, licet reduci posset.

IX.

Caput fetus modo in suturis perforator.

X.

Omnes morbi, qui vulgo tanquam inflammationis exitus considerantur, sine inflammatione exorire possunt.
